



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Libellvs De Principalitate Romanæ Ecclesiæ**

**Roth von Schreckenstein, Hieronymus**

**Ingolstadii, 1550**

**VD16 R 3252**

Ex Constitvtionibvs Principum & Imperatorum Romana Ecclesia principalis  
est, & caput aliarum Ecclesiarum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30126**

## DE PRINCIPALITATE

Concilium Calcedonense Octauum.

Dionysius cap. III. de diuinis Nominibus.

Athanasius in Epistolis ad Marcum liberum & Felicē.

Eusebius lib. 1. cap. 14. Ecclesiasticae historiae.

Augustinus tractatu quinquagesimo sexto.

Lactantius lib. 7. Institutionum diuinarum.

Paulinus de sancto Felice. Anselmus ad Urbanum  
Papam. Quos omnes Eckius in libris de Primatu  
Petri latissime adducit tribus libris.

Si ergo Diuus Petrus primatum inter omnes Aposto-  
los habuit habet, & habebit iure Romana Ecclesia princi-  
palis inter ceteras Ecclesias erit, nullaq; Ecclesia Christia-  
na se ab eadem tanquam Principali segregare debet.

## EX CONSTITUTIONIBVS

*Principum & Imperatorum Romana Ecclesia  
principalis est, & caput aliarum  
Ecclesiarum.*

**E**usebius Pamphili Cæsariensis in suis Chronicis scri-  
bit, quod Anno Domini 600. Phocas Imperator Ro-  
manam Ecclesiam omnium Ecclesiarum caput esse  
constituit. Cui astipulatur Platina in Bonifacio Tertio.  
Bonifacius Tertius patria Romanus à Phoca Imperatore  
obtinet, magna tamen contentione ut sedes Beati Petri  
Apostoli quæ caput est omnium Ecclesiarum ita & dicere  
tur & haberetur.

Consentit

## ROMANAE ECCLESIAE.

Consentit Baptista Egnatius Romanorum Principum Lib. II. In Phoca Imperatore, ubi ait, unum in hoc homine laudes, quod Romanum Pontificem Principem omnium declararit. Et licet Phocas Imperator tum temporis constitueret Romanam Ecclesiam caput & primam omnium esse debere, tamen ante ipsam Constitutionem fuit prima & principalis, & manebit. Nam Imperatores saepe constituere praecipue in fide Christiana, quae prius observabantur. Quemadmodum videre est C. de Sum. Trin. & fid. Catholica.

Ob id Platina inquit, quod magna contentione sit constitutum & Egnatius declarasse testatur. Declaratio autem non est nova Constitutio, sed prioris constitutionis interpretatio. Sic haec Phocae Imperatoris Constitutio est prioris scilicet Domini nostri IESU CHRISTI elucidatio.

Quam pie autem et Christianae Imperatores Gratianus, Valentinianus & Theodosius de Romana Ecclesia rescripserint, superius ostensum est ex L. 1. C. de Sum. Trin. & fid. Cath. Vbi Imperatores uolunt cunctos populos in ea religione uersari, quam Diuus Petrus Apostolus Romanis tradidit. Si ergo omnes populi eam Religionem obseruare debent quam Romani obseruant, quis dubitabit Romanam Ecclesiam esse principalem, nullamque Ecclesiam aliter sentire debere quam Romana sentit Ecclesia.

G ij Deinde

## DE PRINCIPALITATE

Deinde Christianissimi Imperatores aiunt & iubent, hanc legem sequentes Christianorum Catholicorum nomina iubemus amplecti, reliquos demones uesanosque iudicantes, Hæretici dogmatis infamiam sustinere, Diuina primum uindicta, post etiam motus animi nostri, quem ex cœlesti arbitrio sumpserimus, ultione plectendos. Habes hic ex Constitutione trium Imperatorum omnes qui fidem Romanæ Ecclesiæ non tenent esse demones uesanosque. Si quis igitur se à Romana Ecclesia segregare conatur uesanus & demens esse ex Imperatorum legibus censetur.

Pariter & colliges quod omnes qui aliter sentiunt quàm Romana Ecclesia, ex constitutione Principum infames sunt, inquirunt enim, infamiam sustinere. Tertio, quod hi qui se diuidunt à Romana Ecclesia Hæretici sunt. Quarto quod sunt puniendi secundum arbitrium Imperatorum. Hinc est quod in L. 4. C. de sum. Trin. & fid. Cath. Ioannes urbis Romæ Episcopus Iustiniano Imperatori scribit & ipsum apprimè laudat. In hæc uerba.

### L. III. C. DE SUM.

*Trinit. & fid. Cath.*

**I**Nter claras sapientiæ ac mansuetudinis uestræ laudes, Christianissime Principum, puriore luce tanquam aliquod sidus irradiat, quod amore fidei & Charitatis sit, dico